



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano  
accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Nevhsii, 1687**

De Communione Paschali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36005**

## De Sacra Communione.

*Tempore Paschali dicitur hæc oratio.*

Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis paschalibus satiaſti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhæcerit, illud in pixidem reponat, & eosdem digitos, quibus terigit Sacramentum, abluat, & absterget purificatio; ablutionem verò sumat, si celebraverit, aut ijs, qui tunc communicarunt, sumendum tradat, aut saltem in Sacratum injiciat. Postea genu flectens data prius benedictione reponit Sacramentum in Tabernaculo, & obserat.

### De communione Paschali.

Curet sedulo Parochus, ut in quadragesima per se vel per alios concionatores populo opportune denuncietur, constitutio Concilij Lateranensis sub Innocentio III. quæ sic habet.

Omnis, utriusq; sexus, fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel, in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de Consilio proprij Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana caret sepultura.

Utigitur hoc salutare Concilij decretum servetur, descripta Parochus habeat nomina suorum parochianorum, & qui dicto tempore non communicaverint, & post octavam paschæ eos, qui propriae salutis immemores, sèpius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario suo denuntiet.

Facilior modus deprehendendi eos, qui tempore paschali non communicaverunt in sua parochia, erit iste. Curet parochus imprimi nomen Patroni Ecclesiæ suæ in parva scedula cum anno currente toties quoties opus erit. vg. si Patronus sit S. Joseph. erit scedula: **S. Joseph. Anno 1687.** vel alias anni currentis numerus. Talis scedula detur cuivis communicanti; post Dominicam in albis colligantur illæ scedulae, & qui in familia non poterunt dare scedulas, censebuntur non communicasse, nisi alias factam communionem probaverint.

Dabit quoq; operam Parochus, quo ad eum fieri potest, ut in ipso die sanctissimo Paschæ communicent, quo die ipse per se, nisi legitimè impediatur, parochiæ suæ fidelibus hoc Sacramentum ministrabit. Alienæ verò parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent: Quibus ipse Sacram Communionem præbebit, si parati illum accesserint; In cæteris verò servabit ea, quæ in libro de statu animarum præscribuntur.

Ægrotis verò parochianis. etiamsi communionem extra præscriptos paschales dies sumperint, in paschalibus diebus illam deferet, & ministrabit.

### De communione infirmorum ex itema unctione, &c. V. infra.

### De Sponsalibus.

Prius inter Sponsum & Sponsam conveniat, & utriusq; partis consanguineos & amicos, & quando de omnibus jam conventum fuerit, ad sit Parochus, eiq; aliquis proximorum ad id constitutus utriusq; partis voluntatem declarabit.

Quærat deinde Parochus à circumstantibus, an sciant vel saltem suspicentur inter Sponsum & Sponsam esse cognitionem, vel affinitatem. Vel impedimentum cognitionis Spiritualis ex baptismo vel Confirmationis Sacramento, quæ omnia sicut & cætera impedimenta canonica matrimoniū contrahendi, & quæ contractum dirimant, Parochi est, ut ex probatis authoribus cognoscatur, & si quod tale deprehenderit, eos dehortetur, vel ad superiore remittat, & nullatenus signat sine præscitu & dispensatione ejus, qui poterit, copulari.

Quærat deinde, à quovis contrahentium sub interminatione divini Judicij singillatim.

1. An libere velit cum N. suo Sponso vel Sponsa contrahere.
2. An alteri Matrimonium promiserit.
3. An Deo fecerit votum castitatis &c.

Deinde dantur arrhæ Pastori, quas benedicit, dicens.

V. Ad.